

## GRATITUDO.

## QUOD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.** — Est virtus, qua beneficia ab alio accepta cognoscimus, laudamus et pro viribus recompensare conamur.

**DIVISIO.** — Dividitur ab aliquibus gratitudo in eam, quæ *erga Deum* ostenditur, et definitur a B. Alberto Magno, extollentia donorum Dei in anima, cum annihilatione sui, et debita cordis reverentia; (*Parad. anim. c. xxv.*) et ineam, quæ *erga homines* prestat; et hæc definitur a Cicerone virtus, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continentur. Lib. II *de Invent.*

**ACTUS.** — Actus potiores gratitudinis sunt, 1. Beneficium non negare, sed in recenti memoria retinere, et magnificare. 2. Beneficium et beneficentem, ubi occasio datur, laudare et publicare. 3. Beneficentem venerari et amare. 4. Beneficium pro viribus mutua beneficentia recompensare. 5. Beneficium, etiam intuitu benefactoris honorandi et extollendi ac recreandi, bene impendere.

Hos brevier indicavit gradus S. Bonaventura, dum dixit: Gratitudinis altus gradus est, digne ponderare naturalia dona corporis; altior, digne ponderare naturalia dona animæ; altissimus, digne ponderare gratuita dona animæ, scilicet dona Spiritus Sancti et virtutes. *De Gradibus virtutum*, c. xx, t. VII.

## EX S. SCRIPTURA.

**QUALITAS ET ÆQUITAS.** — Cum comederis et saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi. DEUT. VII, 10.

Omne quodecumque feceritis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. COLOSS. III, 17.

Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati esote. COLOSS. III, 15.

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratia-

rum actiones pro omnibus hominibus. I TIM. II, 1.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. PS. CXXV, 3.

Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. PHILIP. IV, 6.

Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. PS. CII, 1 et 2.

In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. I THESS. V, 17.

Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam. ECCLES. XXIX, 29.

## EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

**QUALITAS.** — Quid est tota die laudare? In prosperis, quia consolari; in adversis, quia corripere. Antequam essem, quia fecisti me; cum essem, quia salutem dedisti; cum peccassem, quia ignovisti; cum perversem, quia coronasti. S. AUG. *super Ps.*

Danti rependi quidquam gratias ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod accepit; nam spiritui gratie contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non suscipit. Idem.

Omnis profectus ad Divinitatis munera est referendus, quia nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso cognoscitur esse collatum. CASS. *sup. Psal.*

Gratitudinem ex nobis querit Deus noster, ut quamprimum cœperis beneficium obtinere, incipias ei gratias agere et similiter in fine, cum beneficium fuerit consummatum. Putant homines, se satis Deo gratos esse, si post acceptum beneficium gratias egerint, sed non sic docentur a Deo suo hic, imo gratitudinem ostendere, cum primum cœperint specie ad maturitatem pertingere, et cum omnes fructus domi inluserint. OLEAST. in c. XXIII *Exodi.*

Disce in ferendo gratias, non esse tardus, non segnis, disce ad singula dona gratias agere. S. BERNARD. *sup. Cant.*

Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica et vera simplicitate procedit. Pudicam sane dixero pro-

pter eos, qui de malis actibus suis gloriantur, Deo gratias dicere solent, quasi Deus morte ipsorum lætetur, cum malefecerint, et exultent in rebus pessimis. Idem. *sup. Cant. s. v.*

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria et perpetua confessio gratiarum. S. CARYS. *sup. Matth. n. 25.*

Nihil est quod dignum referre possumus pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus, quid pro cruce obita, et sepultura reddemus? Licet cruce pro cruce, funus pro funere, numquid reddimus, quod ex ipso et per ipsum et in ipso habeamus omnia? Reddamus igitur amorem pro debito, et charitatem pro munere, gratiam pro sanguine, pro pretio pecuniam. S. AMBROS. *super Luc. serm. v.*

**NECESSITAS.** — Tribus rebus mundus consistit: Super lege, cultu sacro, et super retributione beneficiorum. NAVAR. *ap. Mansi*, tr. xxx, disc. 1, n. 2.

Nullum officium referenda gratia magis necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Disce ergo, o homo, in gratias referendo non esse tardus; disce ad singula gratias agere; diligenter considera, quæ tibi prestantur a Domino, ut nulla ipsius dona debita gratiarum actione frustrentur. Nam jugiter sibi subvenire facti, cui impensum beneficium ante oculos semper assistit. S. LAUR. JUST. I. *de Lign. VII. c. v.*

**ÆQUITAS.** — Qualibet creatura trina voce quemlibet alloquitur, videlicet: *accipe, redde, fuge.* Accipe beneficium ex me ad usum tuum. Accipe, inquit cœlum, a me illuminationem, et motum. Accipe, inquit ignis, a me calorem. Accipe, ait aer, respirationem. Accipe, ait terra, a me animalia, victualia, metalla, sustentationem. Secunda vox est: *Redde*, scilicet obsequium tuo benefactori, et meo creatori; qui ideo me creavit, ut tibi servirem, ego autem grata semper tibi obsequor, dum tibi servio; tu ergo multo magis illi obsequium præstes, in honorem suum me utendo, et sibi de meo obsequio tibi impenso gratias agendo, ne ingrata inveniaris. Tertia vox est: *Fuge*, scilicet supplicium tibi paratum propter ingratitude, nam si ingrata eris non me bene utendo, et gratias agendo, omnes eris contra te ad judicandum tuam ingratitude. S. ANT. p. II *Summ. Theol. tit. III, c. IX, § 6.*

Propterea et reverenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certe Ecclesie congregatione celebramus, *Eucharistia* (id est, gratiarum actio) nuncupantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divine erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exsolvere. S. CARYS. h. xxv *in Matth.*

Omnia peccata sic habenda sunt tanquam dimittantur, a quibus Deus custodit, ne committantur. Noli modicum diligere, quasi a quo modicum dimissum est, sed potius multum dilige, a quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatum est, ne redderet; quanto magis debet diligere, cui donatum est, ut haberet? S. AUG. *ad SS. Virg.*

Si copia aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter aquora repetunt, ut inde rursus ad visus, usque nostros jugi et infatigabili fluant obsequio; cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude et intermissione reddantur? Ad locum, unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. S. BERN. *in Cant. s. XIII.*

Quis non erubescat, gratiam bene de merenti non referre, cum videat etiam bestias referere nomen ingrati? S. AMB. I. VI, *Heec. c. IV.*

Die mihi, num si aliquid de tuo cuiusque largiris, expectas, ut tibi gratias agat, ut benedicat domum, de qua ei humanitas sit tributa? Qui si forte gratias non agit, quemadmodum a te denotatur ingratus; ita ergo et a nobis expectat, qui nos pascit Deus, ut pro præstitis ab eo eis illi gratias referamus, et saturi donis ipsius, laudes ei dicamus. S. AMBR. s. XLII.

**UTILITAS.** — Quia pro nato filio grata fuit Eva, dum dixit: Possedi hominem per Deum; et prius beneficium agnovit, assecuta est et aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratitudinem declaramus, et beneficentem agnosceimus, largius sua dona nobis erogat. S. CARYS. *in cit. verba.*

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua confessio gratiarum. S. CARYS. hom. xxv. *sup. Matth.* Admoneo vos, ut Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite, et dissolventur mala. Si prospera venerint, benedicite, et perseverabunt bona et prospera. S. CARYS. in tract. *de Synb.*

Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. CASSIOD. *sup. Psal. Quoniam misericord.*

Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica, et spem de futuris recipit, qui transit acta beneficia recognoscit; nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur. Cassiod. ep. IV.

Gratitudo est maxima utilitas hominis, qua cognoscimus benefactorem, a quo propter hoc ipsum cumulatus bona recipiamus. S. CHRYS. hom. LXXII ad Pop. Antioch. 2.

Deus exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut, quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, et dignos nos faciamus majoribus subsidiis. S. CHRYS. hom. VIII in ep. ad Coloss.

Nihil æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, quam ei perpetuo gratias agere et psallere. S. CHRYS. in Psal. XLIX.

Nihil tam gratum Deo, ut anima grata, et gratias agens; nam cum innumeris beneficiis quotidie omnes nos prosequatur, nihil aliud a nobis exigit, quam habere gratiam. S. CHRYS. hom. LIII in Gen.

Ad principium, unde proveniunt beneficia, revertuntur per gratiarum actiones, ut iterum fluant per beneficiorum exhibitionem. S. Th. lect. V in c. I ad Rom.

Testari gratitudinem est opus acceptissimum Deo, et invitat Deum ad majorem liberalitatem; quare qui ex fide obtulerant primogenita, consecuti sunt parvo sumptu magna Dei beneficia. LIPPOMAN. ap. Mansi, disc. VI n. 5.

Confidenti humiliter, et devote gratias referenti, non immerito ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituetur super multa; sicut e contrario accipiendi indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. S. BERN. ser. IV sup. Psal. Qui habitat.

Mensa ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed inde largius omnia nobis adfert bona. S. CHRYS. hom. LXXII ad Pop. Antioch.

Origo fontium et fluminum mare, virtutum et scientiarum Dominus Jesus. Ex isto fonte manant, ut ad locum unde exeunt, flumina gratiarum revertantur, ut iterum fluant. Remittatur itaque ad suum principium celeste profluvium, spirituales rivi proprio fonti sine fraude et sine intermissione reddantur, ut arva mentium rigare non desinat. Qualiter inquit? Audi Apostolum: In omnibus gratias agentes, ut, quidquid sapientie, quidquid virtutis habes

et gratias, totum Deo virtuti, et Dei adscribas sapientie. HUGO VICT. ap. Mansi, tr. XXX, disc. VII, n. 11.

DIGNITAS. — Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia pejus nihil. S. CHRYS. ib. disc. III, n. 5.

FACILITAS. — Gratias Deo agamus, qui tanta apud nos beneficia collocavit. Neque enim grave aliquid et onerosum a nobis requirit, sed solum, ut testemur et fateamur beneficia sua, et pro his gratias referamus; non quod ipse his egeat, qui sufficientissimus est, nullaque re indiget, sed ut nos discamus Auctorem honorum nobis conciliare; nam sic ipsum ad majorem nostri sollicitudinem provocabimus. Idem, hom. X, in Gen.

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Omnia, que in anima habemus, et corpore, et quaecumque exterius naturaliter vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia, et te beneficium, pium ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus. Omnia ex te, et ideo in omnibus es laudandus. L. III, c. XXII.

Da Deo, quod Dei est, et tibi adscribe, quod tuum est: hoc est, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem soli culpam, et dignam poenam pro culpa debere sentias. Lib. II, c. X, §. 3.

Ego totum dedi, ego totum habere volo, et cum magna distinctione gratiarum actiones requiro. Lib. III, c. IX, §. 2.

Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile videbitur. Non enim parvum est, quod a summo Deo donatur. Etiam si poenas et verbera det, gratum esse debet, quia semper pro salute nostra facit, quidquid nobis advenire permittit. Lib. II, c. X, §. 5.

Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia, et ideo ad me tanquam ad suam originem cuncta sunt reducenda. L. III, c. IX.

Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas, sed totum da Deo, sine quo nihil habet homo. L. III, c. IX.

UTILITAS. — Esto gratus pro minimo, et eris dignus majora accipere. Lib. II, c. X, §. 3.

Qui gratiam Dei desiderat, sit gratus pro

gratia data, et patiens pro ablata. Oret, ut redeat; cautus sit et humilis, ne amittat. Ibidem.

Ille major et melior est, qui sibi minus adscribit, et in regratiando humilior est, atque devotior. Lib. III, c. XXIII, §. 2.

Ideo non possunt in nobis dona gratiae fluere, quia ingrati sumus Auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia digne gratias referenti, et auferetur ab elato, quod dari solet humili. Lib. II, c. X, §. 2.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus, quando volebat opus grande facere, prius cœlum suscepit; et gratias egit sicut patet in multiplicatione panum, suscitatione Lazari, et Eucharistie institutione. MARC. VIII, 6; JOAN. VI, 11 et XI, 41.

B. Virgo, ne unquam Deum benedicere cessaret, ut D. Bonaventura loquitur, semper in ore habuit verba: Deo gratias. Neque aliud fere responderi solita est. D. BON. de Vita Christi. c. XXXIII.

Omnes Angeli stabant olim, ut vidit S. Joannes, in circuitu throni, et ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. APOC. VII, 11.

SS. Apostoli cum gaudio reversi sunt dicentes: Domine, etiam, Daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Quibus verbis beneficium sibi collatum extollunt, ac proinde gratias agunt, teste Sancto Hieronymo et Theophylacto, in cap. Marc. VII.

Primi Christiani, imo et Religiosi, teste S. Augustino, in communi congressu se per voces: Deo gratias! salutabant. Hinc a circumcellionibus per scœmma Deo gratias sunt vocati. S. AUG. in Ps. CXXII.

Pulcherrimum exemplum gratitudinis reliquerunt tres pueri Babylonis in fornace existentes, dum omnes creaturas ad Dei laudem invitarent. DANIEL. III.

Judas Machabæus et populus Jerosolymitanus scripserunt Aristobulo: De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi. MACHAB. I, 41.

Tobias senior, inter doctrinas filio datas, primo loco hanc ponebat: Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vite ejus; me-

mor enim esse debes, que et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Junior vero dicebat patri: Quam mercedem dabimus ei? Aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur mediætem de omnibus, qua allata sunt, assumere. TOB. IV, 3; XII, 2, 4.

Joseph Patriarcha in grati animi signum vocavit filium suum primogenitum Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. GEN. XLII, 51.

Moses quoque eam eandem causam vocavit unum filium Gersam, hoc est, peregrinum illum, dicens: Advena fui in terra aliena, alterum Eliezer, hoc est, Dei adiutorium, dicens: Deus patris mei adiutor meus, eripuit me de manu Pharaonis. EXOD. II, 22.

Hæmorrhœissa, tactu fimbriæ sanata, pre foribus domus suæ statuum aneam hujus miraculi indicem collocavit, cuius gratitudinem Christus probavit alio miraculo, dum ad pedes imaginis herbam ignotam produxit, que, ubi vestimenti Christi per statuum representati fimbriam contigisset, omni morborum generi medebatur. BEUL. in festo S. Matthæi them. 3.

S. Franciscus suos instruens dicebat: Quando Dei servus orans visitatur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cœlo misisti, Domine, et ego illam tue committo custodia, quia thesauri tui me sentio esse latronem. S. BONAV. in Vita, c. X.

S. Thelicia fortissimus Martyr, dum unguis laceratur, nihil aliud inter tormenta ingeminavit, nisi Deo gratias. Idem S. Cyprianus dixit, post fatalem sententiam recitantem, simulque spiculatori a suis Diaconis viginti quinque aureos numerari jussit. BAR. ANN. 261, n. 30 et anno 303, n. 19.

S. Clara viginti annis morbo intabescens, assidue Deo gratias retulit. DREX. in Prodro-mo s. II, § 47.

Boleslaus, Rex piissimus Poloniae, ut gratum se Deo exhiberet pro beneficiis acceptis, non modo villas, oppida et prædia, pro Ecclesie ornamentis et cultu Dei assignavit; sed etiam decimas eisdem accuratissime suo tempore offerri curavit. CATECH. hist. c. VII, l. XXXI, ex. II.

Alphonus, Aragonum Rex, de tribus inces-

santer Deo gratias agebat, scilicet, quod hominem, quod Christianum, quod Regem fecerit. *ÆNEAS SYLV. de Dictis Alph.*

Beata Henrici IV Imp. uxor, cum a rustica femina tenuissimum filium in gratitudinis signum accepisset, tantum ei agrorum assignari voluit, quantum filium donatum per longitudinem dimensionum mensurabat. *BEIRLINC. in festo S. Matthæi them. III.*

Baldwinus, Ierosolymorum Rex, cum Admiratum Turcarum in Arabia prælio superasset, captam illius conjugem cum aliis multis (quam vicino partu graviter habentem vir in itinere reliquerat) in optimo lecto tentorii circumclusit, servis quoque atque alia omni re necessaria adjutam, insuper pro stragula veste, ejus eo in loco copia nulla erat, chlamyde sua cooperuit, atque Admirato eam illaso pudore restituit. Contigit postea Baldwinus, ut a Turcis acie victus in urbem Rhamam immunitatem se reciperet. Ad eum ergo idem Admiratus nocte profectus, plus accepti beneficii, quam ob religionis diversitatem odii, aut etiam prædæ, quam sperare posset, memor, periculi imminenti magnitudinem aperuit. Postridie enim mane Turcas impetum facere in urbem constituisse; si se sequeretur, incolumem se servaturum eum promisit, et promissis re ipsa satisfecit. *DAUBOLT. c. VII, tit. III, exempl. IV.*

Videmus gratitudinis palmare monumentum e Pio V Pontifice vere Maximo in homine rustico relictum, a quo cum Bergamo noctu Mediolanum profugeret, (quod inquirendo in suspecte fidei Episcopum, in sum exitum aliquando plures irritasset) in domum receptus, atque pro rustica tenuitate laute habitus fuerat. Hunc enim in frequentissima inspectantium, ac fausta precantium turba, quum a Laterano, qua die Pontificatus possessionem adit, sublimis referretur, agnovit, atque ad se deinde jussit vocari, cognitoque duas illi filias esse, ut honestis nec pro fortuna elecaret, bina aureorum millia; ut vero ipse sibi prospiceret, quingentos dedit; nulla inepte magnificentie ostentatione opes publicas prodigens, sed tenuissimi villici commodis abunde prospiciens, quem non equidem donatum auro, sed agnitus fuisse, satis mirari non possum; nam in ea nocturna fuga vix semel viderat, verum, ut obliuissimum mortalium sunt ingrati, ita grati homines memoria maxime valent. *JOAN. RHO, lib. IV, c. VIII, n. 3.*

De S. Theresia sic scribit Joannes Rho: Erat euidam virginum familia a confessionibus Sacerdos bonus ille quidem, verum moribus prætractus, ingenioque austerus, adeo ut virginibus esset peracerbus et gravis. Rem, quod ita domesticæ quietis intererat, ad Theresiam detulit familie preses; alium sibi adhibendum videri, ac morosissimi hominis consuetudinem vitandam. Sed vetuit Theresia, gravi oratione admonens, vorandas esse quaslibet acerbitates, atque dissimulandam durioris ingenii conditionem; quod is olim virgines de fraude adnuisset, quam in ædium venditione improbi homines adornabant; nolle itaque se bene merentem de familia universa hominem ea missione contristari. Eidem Theresie cum in via æstuantis obvius viator frigidam dedisset, ingentem sane retulit mercedem; nam per aliquot annos pro ejus salute supplicaturam se Deo recepit, præstititque eum fide; hoc uno Theresie facto vel in hac vita Christi Domini oraculum laudatum est, quo frigide calici mercedem minime defuturam pronuntiavit. *lib. n. 3.*

Subtilis admodum Eleonora ex Austriae gente, Mantuanorum Ducis, in hac gratiarum philosophia ratio fuit. Bi beneficium se accipere agnoscebat, ubi mortaliu plurimi debitam agnoscent servitatem. Quis enim pauperes, artifices, oratores, piscatores, cæterosque hujusmodi, suos inter numerat beneficos? Faciebat hoc tamen Eleonora, eorum sudoribus sibi lautilas parari dicitans, et otium, quo Principes perfuerent, illorum laboribus defendi. Quamobrem pro illorum manibus piæ preces fundere sollicitè institerat, ne plane viveret ingrata. O animum vere magnum! Est in illis obscuro addicta libertas, quæ, ut nullo unquam bene emitur argento; ita grati animi libera est significatione redimenda. *lib. n. 6.*

De Stanislao Hosio, et Seraphino Oliverio, Cardinalibus, sic scribit idem auctor: Non deceat bene merentium vita gratum animum circumscribere; gestit enim, atque extra brevis ævi emicat angustias, quod in Hosio observatum non sine admiratione fuit. Ut enim in colendis superstitibus, a quibus beneficia se recepisse noverat, nemini fuerit secundus; ita illorum filiis, cognatis, affinitibus, amicis demum juvenibus, fovendisque, cum paucis numerandus est: Reputabat vir sapientissimus, se illis plurimum debere, in

quos, quæ sibi delata fuerant, conferri potuissent beneficia. Seraphinus non minori virtute Jacobi Razalli, a quo beneficium se adolescentem accepisset, nunquam fuerat oblitus, nepotes aliquot et vivens omni coluit officio, et quasi satis sibi eo non fecisset, ut etiam post fata viveret gratus, honorum omnium scripsit heredes. *lib. n. 9.*

Ibidem de Alphonso Valentino, Ord. Præd. sic scribit: Gratus animus semper habet, quas referat gratias, et si præsidia alia desint, vota in promptu habet et preces. Et sane utiliora hæc sepe benefactoribus esse, Alphonsi exemplo scimus, qui præter ades honesti Sacerdotis, a quo in illis ipsis hospitio fuerat exceptus, transibat nunquam (faciebat autem sæpissime) quin illius manibus sacro carmine, quod Responsorium vocant Rituales libri, pacem precaretur. Ab hac ille ratione non antea destitit, quam homini bene esse divinitus admonitus, sua ope non amplius intellexit indigere. *Ibid. n. 9.*

Porro, quantum vel unicum, *Deo gratias*, casualiter prolatum apud Deum valeat ad evadendum etiam, quod uspiam incurrere possemus, maximum periculum, id est, damnationem æternam, ex sequenti historia colligere licet. In quodam prioratu Belgie morabantur monachi concubinarii et crapulones, qui certatim carnis voluptatibus vacabant. Vespertino tempore, postquam se cibo et potu ingurgitassent, unus illorum dicebat: Deo gratias! Cui alter respondit: Ego non Deo, sed Diabolo gratias ago. Quibus dictis, singuli cum suis concubinis ad lectum concesserunt. Accidit autem, ut, dum vix lectum ingressi essent, Dæmon illis in habitu venatoris apparsit dixerit: Ubi nam est ille, qui mihi gratias egit? Ecce presto sum. Habebat vero Spiritus ille duos alios Dæmones habitu coquorum indutos, quibus, ut impium illum e lecto extraherent, et ad ignem torrerent, præcepit, sicuti et factum est. Alii vero terrefacti audierunt Dæmones eisdem dicentes: Digni vos etiam pari supplicio, nec deest voluntas mihi; vobis vi majori, invitus ab eo, respicite, aut manent terribiliora. Porro quam causa fuerit, cur Dæmon coercitus sit, ne de illis pariter sumeret supplicium, tametsi auctor non referat, vel declarat, verumtamen ex narrata historia satis deducitur, reliquos duos ex eo solum capite liberatos fuisse, quia scilicet dixerant, *Deo gratias*. *MANSI, tr. XXX, disc. XXV, n. 7.*

Quidam fuit filius ditissimorum parentum, cui pater suus desponsavit filiam eujusdam nobilissimi, et præ omnibus locupletissimi Regis nimis pulcherrimam. Movit ergo sermonem cum puero de nuptiis, et quomodo facere meditabatur, annuntiavit, quod ille quasi rem malam ac nefariam respiciens, relicto patre, in fugam elapsus est. Ambulans autem declinavit in domum eujusdam senis pauperis, propter æstum diei semetipsum repausaturus. Tunc filia senis virgo, quæ erat ei unigenita, sedens ante januam operabatur manibus, ore autem suo Deum laudabat, assidue gratias agens ei de imo cordis. Hujus autem laudes juvenis auscultans, ait: Quod est istud, o mulier, studium tuum, ejus autem rei gratia, cum ita sis pauper et tenuis, quasi pro quibusdam magnis donis gratias referendo sic laudas Dominum? Quæ respondens ait: Nescis, quia sicut exigua medicina de magnis laboribus senis liberat hominem, ita et in parvis Dei donis, gratiarum actio magnorum auctrix bonorum efficitur. Ego quidem filia sum senis pauperis, gratias tamen refero Deo pro modicis istis donis, et benedico Dominum, certa, quoniam qui hæc contulit, et majora valet dare; et ista quidem de his, quæ extrinsecus sunt, et nostra non sunt, ex quibus nec multa possidentibus lucrum aliquod pervenit, ne dicam, quia et sæpius damnium sustinent, neque minora accipientibus accidit detrimentum, eandem utrisque viam pergentibus, et ad eundem pervenientibus finem. Eorum vero, quæ magis sunt necessaria, et perfectissima, multa et maxima accipi Dei dona que innumerabilia et inestimabilia sunt. Nam secundum imaginem Dei facta sum, et ipsius notitiam habere merui, et ratione præ omnibus animalibus sum præditus, et ab ipso Deo invitata sum ad vitam per viscera misericordiæ ejus, cujus et mysteriorum particeps esse merui, cui et Paradisi janua parata est, facile, si volero, introitum mihi præbitura. Pro tantis igitur et talibus donis, quæ in differenter divites percipiunt, et pauperes, ut dignum est, gratias agere penitus est impossibile. Si autem et modicam laudationem largitori honorum non obtulero, qualem excusationem habeo? Juvenis itaque eximium illius stupens intellectum, ejus patrem accersivit, cui dixit: Da mihi uxorem filiam tuam, adamavi enim illam propter intellectum et pietatem. Tunc senex ait: Non licet

tibi accipere pauperis filiam, cum parentum divitum sis filius. Rursus autem juvenis ait: Etiam hanc accipiam, si tamen mihi non negaveris eam. Nobilium quippe et divitum mihi filia fuit desponsata, sed hanc respiciens fugam arripit, filiam quoque tuam propter pietatem, quam habet in Deum, et præclarum illius intellectum adamans, copulari mihi præ omnibus cogitavi. Senex autem dixit ad eum: Non possum tibi filiam meam dare, ut duceas in domum patris tui, et ab ulnis meis separeas eam, unica enim mihi est. Sed ego, inquit juvenis, apud vos maneo, et vestram suscipiam conversationem. Deinde et splendidum deponens vestimentum, senis habitum postulans induit. Tunc ille senex in multis tentans eum, et varie ipsius examinans cogitationes, postquam cognovit juramenti illius stabilitatem, et quia non amore insipientiæ detentus petiit ejus filiam; sed pietatis amore elegit pauperime vivere, hanc præponens suæ gloriæ et nobilitati, tenens eum manu introduxit in suum cubiculum, et ostendit ei divitias multas ibi repositas, et immensum pondus pecuniarum, quantum non viderat aliquando juvenis ille, et ait ad eum: Fili, hæc omnia tibi do, eo quod elegisti meæ fieri hæres substantiæ. Quam tenens hæreditatem, ille omnes supergressus est gloriosos terræ et divites. VINCENT. BELLOVAC. l. XV. c. XV. et *Spec. Exempl. tit. Gratias agere, Ex. 1.*

Præclarum adhuc gratitudinis exemplum de Temazaca, nobili Japone, his verbis narrat Joannes Rho: Vereor, ne nimia divinorum munerum abundantia, quæ gratias maximas jure suo repositit, vitio nostro nos reddat ingratos. Quotus enim quisque nostrum, quod depulsis errorum tenebris, tanta ubertate nostris se regionibus veritatis lumen infuderit, gratias Deo habet? At Temazaca, recentis fidei homo, sed indolis ac generis clarus, cum a prætereuntibus salutare Jesu nomen invocari audisset, equo desiliens, Deo quam potuit enixissime gratias retulit, quod, quibus in terris paulo ante profana Idolorum nomina aerem quadam infidelitatis contagione afflabant, jam nunc Filii sui sanctissima florere invocatio. JOAN. RHO, l. VI, n. 7.

Joannes Zenisus, Græcorum Imperator, ope divæ Virginis, Martyrum Georgii et Theodori, ingenti gloria Bulgaros, Scythas, Turcas et alios Barbaros adversus Romanos simul fodere junctos, numero trecentorum,

triginta milium militum, iteratis summo labore atque periculis, sæpe præliis superavit, atque summa religione qua vicerat triumphum paravit. Primum Bulgarorum civitatem, ubi regia erat Parastabam nominata, expugnabit, mutato postea nomine ab Imperatore Janopolim nuncupatam, cepitque Regem Bulgarorum Borisem cum uxore et liberis, et Bulgarorum regnum extinctum superatis ingenti prælio postea Barbaris, die Sancti Georgii martyris, cui tanta victoria accepta lata fuit, converso post hæc bello adversus reliquos qui se Drostoli munierant accipiti prælio et certamine diu multumque pugnatum, donec divinum auxilium certis signis Romanis adfuit, quibus adjuti vicere penitus Barbaros. Quenam autem fuerint divina subsidia, ea refert Curapalates. Fertur, inquit, divinam opem tuos Romanos esse consecutos. Turbo enim quidam a Noto vento in ora Seytharum constitit, hand permittens eos captis uti in bello consiliis. Et quidam vir conspectus est ab omni Romanorum exercitu equo albo vectus in antesignanis pugnare, hostiumque commovere ac perturbare phalanges, nulli prius aut postea cognitus, quem aiebant unum esse ex gloriosis matryribus, Theodorum videlicet, quibus tutoribus ac propugnatoribus contra hostes utebatur semper Imperator. Etenim forte accidit, ut hoc prælium ea die committeretur, qua celebrare memoriam militis consuevimus. Cum et mulier quædam nobilis Byzantii, supremæ potestatis, per visum illud ita esse confirmabat una ante congressum die, in somnis sibi visum Dei genitricem præsto esse, et cuidam militi dicentem audire: Domine Theodore, meus et tuus Joannes in periculo versatur, ad ejus auxilium propera. Orto sole, eadem mulier vicinis rem patefecit. Et que visa sunt, hæc fuerunt. Funduntur rursus Scythiæ, qui clausas urbis portas compierentes a Sclero Duce per planitiem dissipatis, multoquoque conculcati interfecti sunt, et a Romanis caesi numero infiniti, vulnerati autem fere omnes. Martyri autem debitum reddens honorem Imperator, et auxilii præmia respondens, templum illud, ubi sanctorum ejus corpus conditum est, a fundamentis eversum, majus, pulcherrimumque edificavit, attributis ei magnificis possessionibus, quod etiam pro Euehanem Theodoropolim appellavit. BARON. tom. x, Ann. 971.

## EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius P. Petro Coderio (cujus ope fere sustentabantur Patres) grati animi causa honores Fundatorum omnes decrevit, annuam videlicet candelam, missarumque certum numerum, utque consensu ac loci dignitate Professis omnibus anteiret; mortuo vero, consueta suffragia fierent, et etiam sepulchro cum honorifica inscriptione lapis imponeretur. Idem quoad vixit, Barnabitas Mediolanenses amore, consilii, officii prosequabatur, eo quod P. Emmanelem Mionam agrum in suo monasterio summa charitate curassent. Licet autem in referendis gratiis plura præstaret, quam acceperit, tamen in rependenda gratia nunquam sibi satisfecisse videbatur. *Hist. Soc.*

P. Petrus Faber Deo gratias agebat pro communibus etiam beneficiis, ac si sibi uni collata essent, maxime ob amorem, quo Deus beneficia communia largiens unumquemque in particulari ac nominatim respicit. In quovis Dei beneficio tria ponderabat, quis, quid, quo studio largiretur; inde censebat fieri non posse, quin omnia magnificerent. Aiebant, præcipue Deo esse agendas gratias ob beneficia nobis nec petentibus, nec sentientibus collata, v. gr. natum esse Christianum. Ex perpetua beneficiorum Dei recordatione replebatur os ejus perpetua laude Dei, et animus se totum vicissim Deo offerendi. Gratias agebat Deo pro publicis calamitatibus, v. gr. peste, bello etc. cum ea Deus disciplinæ gratia immittat, dolens, homines hoc beneficium non agnoscere. Ferventer orabat pro iis, qui sibi fecissent bene, ut qui Baptismum, Chisma, S. Ordines, S. Eucharistiam illi contulissent, ut et pro Confessariis et Magistris suis. Gratias etiam agebat Deo nomine sociorum suorum ac fratrum, tanquam membrum pro membro, in quos similia beneficia collata essent. Imo gratias Deo agebat pro beneficiis in ipsos etiam Angelos et Sanctos collatis. Quidquid tandem cupiam bene eveniret, illius loco agebat Deo gratias, ut cum secundos agros transiret, petens simul veniam pro illis, qui gratias non agebant. Quia vero omnia divina gratiæ tribuebat, nihil suæ industriae, sed perpetuo laudabat Deum, hinc tantis gratiis et celo animus ejus replebatur, et

quidquid inceperit, feliciter ei evenit in salutem proximi.

P. Jacobus Martinez singulis diebus modo quinque, modo septem millia actuum amoris in Deum, et gratiarum actionis, eliciebat. *Syllabus Pervon. Provin.*

P. Michael de Rayno beneficia divina in se collata scheda descripta de collo gestabat. *Avuæ 1604.*

Joannes Bereckman pro suis professoribus bis per diem orabat. Professori Philosophiæ sedem ineunte fere mense offerebat in cubiculo, orationibus et penitentis referentiam pro ipso persolvendis. *Vita, pag. 224.*

## EXEMPLA PROFANA.

Plato Deo assidue gratias agebat, quod homo, quod mas, quod Græcus, quod Atheniensis, quod tempore Socratis, a quo institui posset, natus esset. FABER, in *Dom. 13, post Pent. conc. II.*

Romani, quia anseres Capitolium sua vigilantia servarant, publico decreto decreverunt, ut semper aliquot eorum in Junonis templo alerentur; et ut quotannis anser unus in splendida lectica et veste stragula sedens, per urbem circumferretur cum solemnium pompa. PLIN. l. X, c. XI.

M. Antonius tantum honorem magistris suis exhibuit, ut eos præ cæteris ad oscula admitteret, et eorum imagines aureas in Larario haberet, sepulchra vero illorum hostiis et floribus ornaret. FAB. l. c. conc. III.

Antalcidas rogatus, quid agendum sit ad hominum favorem acquirendum? respondit: Si grata fueris; si grata loquaris; si grata ipsis præstieris. Idem, conc. III, n. 3.

Alexander Magnus Bucephalo equo suo seni stabilem annonam decrevit, ob obsequium in juventutis flore præstitum. Idem, n. 9.

Cum veteranus quidam miles in jus citaretur, adiit in publico Cæsarem Augustum rogans, ut sibi adesse vellet. Cum vero Cæsar ex suo comitatu aliquem daret, qui causam illius ageret, respondit miles: At non ego, Cæsar, periclitante te in Actio bello vicarium quæsi, sed pro te ipse pugnavi. Simulque cicatrices detexit; quo auditu erubuit Cæsar, atque in advocacionem ipse descendit, veritus, ne alioqui non modo su-

perbus, sed etiam ingratus videretur. Lantius, tit. *Gratitudo*.

De gratitudine mortui erga suum benefactorem sic scribit Alciatus :

Cum curvos piscator aquis educeret hamos,  
Nanfragio fractum sustulit ære caput;  
Maxima mox hominis fens infortuna, parvo  
Quæ super hinc fuerant condidit ossa solo;  
Pondera sed fodiens ingentia reperit auri.  
Justo homini nunquam gratia facta perit.

Rex Sinarum cum exactis Tartaris regnum stabili pace comperet, ut fortissimorum Ducum, quorum præclara opera Tartaros vicerat, perenni prosequeretur beneficio, et post commune factum gratus viveret in omnium recordatione posterorum, aliquid exogitavit atque invenit, quod redvivæ semper gratiæ perpetuum duraret argumentum. Ferreas conferti laminas pro numero ducum jussit, singulorumque pugnis atque victoriis cœlari, unicuique deinde suam tradidit, communi omnibus lege, ut post ipsorum excessum apud familiarum principes servate laminæ certis ab unoquoque vicibus in iudicium proferri possent, toties reos capitis periculo iudicioque ereptura; dum modo, ne fraus sapius iudicibus fieret, quoties salutare fuissent, certis notis insculperentur. Itaque post aliquot jam secula vivunt non minus Ducum præclara gesta, quam sapientissimi Regis grati animi præclara monumenta; ambiguo apud omnem posteritatem iudicio, quam gloriosior memoria sit, Regis ne, an Ducum? Sed vera æstimantibus ferrum illud cuius auro anteferatur, in quo gratissimi Regis beneficio, illustria vivunt ac florent gesta majorum. JOAN. RIO, l. IV, c. VIII, n. 1.

Supremum inter armorum furorem effrenisque crudelitatis sevam licentiam, ut re-torrido in agro viridis aliquando cespes, ita magnam virtutis exemplum emicuit. In expugnatione arcis Cronzonie, quam de Hispano in minori Britannia Gallus vir creperat, Aumontius exorcitus Marescallus, trucidari presidarios, ac nemini parci mandaverat; fiebant itaque cædes, et victis non inulle morientibus, omnia late sanguine redundabant. Dum maxime ira cœdibus incallescere, nec tam pugna, sed strages esset, Anglus gregarius Hispanum, qui se in lateras penetraverat, indepius, jugulaturus protrahabat, quem subito agnitione bono animo esse jussit, non periturum. Aderant jam manipulares, Hispanumque ad cædem

deposebant; absterrere Anglus, et si vi delictio fieret, ferro se repulsurum. Exorta inde rixa, et clamore invicem sublato, ad Aumontium res tota defertur, qui acieum Anglum suo cum Hispano interrogat: Quid ita jussa Ducis intempstiva illa humanitate contempserit, facessat illico imperata, ni pareat! Enim vero Anglus moriturum se cum Hispano, si vilam illi conservare non posset, se profiteri; agnovisse se hominem a quo in Belgio pari humanitate olim fuisset conservatus; nolle se ingratum vivere, si illi moriendum sit, commori certum sibi esse, quando simul vivere non posset. Aumontius supra gregarii fortunam et virtutem admiratus, utrumque liberum abire permisit, et mutuo frui beneficio factum laudans, ut raris grati animi exemplis olim inserendum. lb. n. 13.

Xantippus Atheniensis erga canem suum gratus extitit, quia maria pernatans, usque in Salamiam eum sequutus fuerat, qui tempore adveniente in Græciam Xerxe, major Græciæ pars in eam se insulam recepit. Nam ne tupto amore ingratus foret, mortuo cane in Salamiam arce sepulchrum ei condidit, quod diu Cynotaphium appellarunt. BARR. FUGOS, l. V.

Plateenses in agro suo, quod in eo commissum a Græcis adversus Persas prælium fuerat, quotannis in Græcorum memoriam, qui illie pro communi libertate occubuerant, solemnem pompa sacra peragebant. Idem, lb.

Minucius Magister equitum qui secundo bello Punico aequatum est cum Dictatore imperium, temere in Pœnorum insidiis precipitatus, circumventusque ab hoste cum dimidio copiarum erat, haud dubie locum ipsum Romanorum clade ante Cannas nobilitatus; cæterum Fabii Maximi Dictatoris, a quo dissentiebat in administrando bello, celeri occursum imminenti periculo subtrahens, haud inepte ad infamiam dilendendam gratitudinem temeritati prætexit, ultroque Dictatori imperium restituit, patremque appellavit; fuit præterea suis auctor, ut patrum militari clamore salutatum aurea corona donarent. Ibid.

Magnum grati populi Romani specimen in Q. Fabio Maximo enituit. Nam cum quinque consulatibus salubriter Republicæ administratis decessisset, certatim res contulit, quo major ac speciosior ejus funeris pompa duceretur. Ibidem.

Non minus etiam se gratos præstiterunt Romani adversus Latinos, quos, cum paulo

ante hostes essent, in amicitiam ac societatem receperunt. Nam cum Volscorum legatos ad se missos, ut a Romanorum societate averterentur, Latini cepissent, ac cætenis victos Romam misissent, opem in eo bello etsi minime requisiti fuerant, offerentes, Romani sex hominum millia Latini nominis, quos captivos habebant, carcere liberarunt, omnesque novis amicis vestibus, domum, opem, quæ offerebatur, ad graviores casus reservata, remisertunt.

## EXEMPLA BESTIARUM.

S. Macarius speluncam habuit cellulæ suæ suæ vicinam, et quadam die catulos suos cæcos ad eum bellæ præduxit, et ante pedes ejus ponit. At ille cum intellexisset, pro cæcitate catulorum bestiam supplicare, rogavit Dominum, ut eis redderet visum. Quo recepto, matrem sequentes redeunt ad speluncam. Et paulo post ipsa cum catulis suis regrediens, pelles ovium plurimas, velut munus pro suscepta gratia, ad senem defert, morsu oris enecat, iisque ante fores ejus depositis, abscedit. RUFINUS l. II *Hist. Eccl.* c. iv.

S. Thomas de Villanova plura ejusmodi exempla offert sic loquens: Mira res, et cui similis a sæculo non est audita. Agnoscent supernaturalem instinctum Creatorem irracionales bestię, genera flectant bruta, et insuetis naturæ motibus reverentiam exhibent conditori; ruditaloquin asia, coram illo trepidat reverenter, et quia eloquio nescit, mugitu hos divinam personam laudem. Prosternitur brutum factori suo, quid facturus est rationalis homo? Deus pro homine homo factus est; brutum prosternitur, jumentum adorat, et non beneficia sua recognoscens stabit homo? Sed et S. Bonaventura super verba: *Et canis secutus est eum*, discurrens: Si sic, inquit, canis dominum suum amat pro pane modico, et sic equus pro modico hordeo; si sic asinus pro pabulo et feno; quantum ille a nobis amandus existit, qui carnem suam dedit nobis in cibum, sanguinem in potum, vitam in meritum, et se totum in præmium? Nam leo, dum a serpente cinctus, et ab eo fortiter ascriptus esset, dum fuisset a quadam milite liberatus, sic illi toto corde adhesit, ubi ab eo nisi morte separari nequirit. Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit, et Deo suo negabit, quod homini mortali leo impendit? Certe

TOMUS II.

nullum, teste Seneca, tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amore sui vertat; leonum ora a magistris impune tractantur; elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus. S. THOM. DE VILLAN. in *Nativit.* conc. II.

Stesichorus apud Pierium Valerianum refert, quod dum rustici in agro quodam simul laboribus insisterent, unus illorum, qui pro haurienda ex vicino fonte aqua abierat, aquilam quandam ab ingenti serpente quodam circumplexam conspexerit, mortem ei comminante; ac proinde, correpta falce, eundem in minutas partes conscindens, aquilam liberavit, haustamque aquam laboris consortibus attulit, qui cum ex ea bibissent, in eodem momento, quo et ipse os hydrice ad extinguendam sitim applicare voluit, aquila pernici volatu ad eum properans, hydricam de manibus dejecit, omnemque aquam ex universa hydrice effudit; moxque rusticus hoc se refrigerio privatum conspiciens, aquilæ, tamquam ingratae, vehementer indignatus fuit. At vero, postquam e sociis aliquis post hanstam ore aquam in terram mortuus conrueret, alios vero atrocibus doloribus cruciari conspexisset, aquam illam veneni toxico infectam fuisse arguens, aquilæ erga se gratitudinem agnovit. Eheu! quot hisce temporibus sunt homines, qui mundi torrentem sequentes, dum bibunt quasi aquam iniquitatem, in ipsa appetituum suorum obscuratione mortiferum animæ et corporis contrahunt venenum! Quando igitur nostris se Deus opponit consiliis, ne ad honores prætenso pertingamus, ne desideratis carnis voluptatibus perfrui possimus, vel concupis hæreditates, vel divitias assequi valeamus, summum nobis præstat beneficium, utpote Medicus pro æterna salute nostra omnino sollicitus. PIER f. 502, con. II.

Androclum Dacum leo, cui spinam e pede extraxerat, non solum in antro aliquamdiu nutriti, sed etiam ad feras damnatum, ab aliis feris defendit. Alius leo equitem, qui eum a dracone, cui jam prope occubuerat, defenderat, semper etiam in mare secutus est, donec fatigatus, et aquis suffocatus est. *Dux peccatorum* l. I, p. I, c. III.

Scytharum Regulus cum ab hoste occisus spoliaretur, equus ipsius domo, calcibusque eum interemit. Alius domino interfecit vitam inedia finivit. Alius lacrymas præ desiderio fudit. Ibid.

Canis quidam Romæ domino suo occiso, et ad gradus gemonios abjecto, non modo moscos edidi tululatus, sed etiam cibum sibi obiectum ad os defuncti attulit; et postea in Tiberim projectum corpus aliquamdiu, ne mergeretur, sustentare conatus est. Alius vero occisorem domini sui ex turba dentibus apprehendens prodidit. *Ibid.*

Delphinus ab anicula quadam in urbis Jherosolensæ portu educatus, adultior factus, semper de præda sua partem nutritiis suis communicavit. *ELIANUS.*

Accipiter brumæ tempore passerem comprehensum unguibus, ut ejus calore foveatur, per noctem sibi applicat, et ob hoc beneficium mane prorsus innoxium dimittit. *LUDOVIC. GRANAT. l. I, Cathec. c. XXXVII.*

Pelicanus femella super pullos suos a serpente percussos, sanguinem ex proprio pectore vulnerato emittit, itaque debilitatur, ut a pullis ali aliquamdiu debeat. Resumptis autem viribus, illos, qui diligentius illam aluerunt, tenerime diligit, et fovet, reliquos velut degeneres et ingratos nido deturbat. *STAF. Dom. 13, post Pent. them. v.*

In civitate Patræ cum puer quemdam draconem parvum a se emptum educasset, cumque eo velut intelligente locutus esset, ac lusisset, denique is grandior factus a civibus in silvam dimissus est, ubi tamen dictum adolescentem, quod in latrones incidisset, clamantem, ita defendit, ut aliquos latronum in fugam egerit, aliquos omnino occiderit. *Ibid. et ELIANUS, l. XIII.*

Ciconia quadam, cui Heraclidis vidua erus obligarat, statuto anni die reversa ad ædes illius, magni pretii gemmam e gutture project, ac erus tractandum obiect. *BERLING. in festo S. Matth. th. II.*

Porum Regem in terram delapsum elephas telis circumstantium eripuit, et in dorsum reposit, donec tandem exanimis cum domino suo concidit. *Ibid.*

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS ET ÆQUITAS. — Sicut terra et flores, quo plures a sole calores et radios accipiunt, tanto plures reflexiones, vapores et odores versus solem emittunt; ita gratus homo, quo plura accipit beneficia, tanto majori in Deum aut alium benefactorem amore succenditur. *BROMIAR. lit. G. c. IV.*

Sicut magnum scelus esset, si quis am-

plissimis a Rege quopiam donis exornatus, his ipsis abuteretur ad exercitum, quo Regem debellaret, conscribendum; ita non minus grave scelus censeri debet, si quis donis a Deo concessis ad illius offensam utatur. *Ibid.*

Sicut mulier, quæ monilia et torques a marito acceptos adultero donaret, merito gravissimi sceleris et supplicii rea judicaretur; ita anima non minoris culpe damnari debet, si creaturis ad amorem Dei accendendum concessis abutatur, et ad aliarum rerum illicitum amorem dirigat. *Ibid.*

Sicut is, qui in domum, vineam, aut hortum pro suo usu ab aliquo domino edificatam, introduceret alium, illiusque possessionem offerret, gravem domino injuriam intulisse censeretur; ita, cum Deus hominem, et omnes illius potentias non nisi ad suam gloriam considerit, non poterunt hæc absque gravi injuria illius ad alios particulares fines adhiberi. *Ibid.*

Sicut, dum pila luditur, jacit unus, alter vero refert illam, tamdique ludus producit, quamdiu inter utriusque manus jacta et reciproca pila non exidit, atque ita, qui pilam non rejicit, perdit; eodem modo omnis ingratus sum non recompensans beneficium, spe destituitur novorum recipiendorum, secus vero, qui gratus existit. Qui gratus futurus est, verba sunt Senecæ, statim dum accipit, de reddendo cogitat. *MANSI, tr. III, disc. IV, n. 7.*

Sicut chirurgus, dum tibi contra voluntatem, et totaliter invito, cucurbitulam igneam capiti applicat, vel membrum præscindit aut secat, tametsi inde dolorem aut displicentiam concipias, immensum tamen tibi confert beneficium pro quo postea recuperata sanitas summam illi gratias agis; ita quoque Deus animarum nostrarum Medicus, qui dixit: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus, adversitates velut afflictivas et dolentissimas medicinas in æternam nostram ordinat salutem, atque adeo merito summæ et gratiæ debentur. *Ibid. dis. XVIII, n. 7.*

UTILITAS. — Sicut lupini et fabæ non exungunt agrum, sed stercoreant; ita homo gratus meliorem reddit fortunam ejus, a quo beneficium accipit, que tamen mox iterum in ipsum redundat, dum gratitudini isti nova beneficia rependuntur. *BERLING. in festo S. Matthæi th. III.*

Sicut omnia flumina ad locum, unde

exeunt, revertuntur, ut iterum fluant; ita quisquis diligenter ad Deum per gratitudinem refert beneficia, meretur nova accipere. *EccL. I, 7.*

Sicut exiguum pharmacum e magnis plerumque morbis hominem eripuit; ita gratiæ etiam ob minima beneficia persoluto bona ingentia conciliant. *S. DAMASCEN. in vita Barlaam.* Unde *S. Bernardus* ait: Felix, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora accipere mereamur.

Sicut Ægyptii olim, si fideliter quintam partem de fructibus Pharaonis obtulerunt, reliquis quatuor partes sibi lucrati sunt; ita qui Deo de operibus, velut optimis animæ fructibus, quintam partem, scilicet laudis, gloriæ et gratiarum actionis, fideliter persolvit, omnem reliquum eorumdem operum fructum sibi retinere potest.

#### MOTIVA.

*Exemplum et voluntas Dei*, qui ut quovis tempore, quovis die et anno recepta beneficia grata mente in memoriam revocentur, in principio ejuslibet mensis, hoc sibi mensium pendit voluit tributum. Solemnitas Paschalis quovis anno celebrari debebat in memoriam magno illius beneficii, quo compedibus servitutis Pharaonica liberati in terram promissionis tot miraculosis modis perducti fuerant, Festum Tabernaculorum eidem populo in memoriam revocabat quadraginta annos, quibus in deserto commoratus, et celesti alimonia, quæ quotidie de cælo deluebat, omnesque in se continebat saporum suavitates, pastus fuerat. Festum Pentecostes habebatur in memoriam Tabularum legis a Deo traditarum. In Levitico ritus legitur quorundam sacrificiorum, quæ Deus in gratiarum actionem præscripserat. In Deuteronomio eumdem finem instituta fuit primitiarum oblatio; et similia sexcenta alia exempla adduci possent, ex quibus omnibus Dei colligitur sollicitudo, qua populo sibi electo gratitudinis virtutem inculcare contendebat. *MANSI, tr. XXX, disc. II, n. 6.*

*Exemplum Sanctorum.* Cum enim opus istud, scilicet gratiarum actio sit exercitium supernæ patrie, secundum illud Isaiae II.

*Gaudium et letitia invenietur in ea, gratiarum actio; et vox laudis;* quanto quis copiosius et perfectius se exeret in gratiarum actione, tanto magis appropinquat statui Beatorum; quod ut penetremus solidius, oculos nostros ad visionem sublevemus illam *S. Joannis*, quando in superna Jerusalem Spiritus conspexit Angelicos, circum Majestatem supremam Dei actibus obsequiosis intentos, hasque inauditi voces: « Benedictio et charitas, sapientia et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. » *Ib. n. 9.*

*Exemplum Ecclesie militantis*, in qua Horæ Canonica a tot, tam regularis, quam secularis Cleri ministris quotidie recitantur, in quibus continue Deo laudes, benedictiones, gratiarum actiones offeruntur et redduntur, et uniuscujusque Psalmi terminus hoc clauditur versiculo: « Gloria Patri etc. » Item verbum, *Deo gratias*, frequenter tam in divini Officii, quam Missæ progressu replicare solemus. *Ibid.*

*Exemplum Barbarorum*, quo se excitavit Sanctus Saba, multorum monasteriorum celeberrimus Pater. Quibusdam Agarenis, per cellam ejus transeuntibus et esurientibus, apposerat radices tantum quoddam melagriorum, et arundinum cortices; neque enim alio cibo ipse utebatur. Redierunt illi postea, afferentes ei caseos et dactylos. Quo viso: Hei mihi! inquit, Barbari isti parvi nostri beneficii memores, referre gratiam munifice studuerunt. Nos autem, qui quotidie fruimur bonis Creatoris, nullam ei vicissim studemus referre gratiam per mandatorum observationem. Que de cætero excusatio, quæ venia dabitur! *DAUBOLET. c. VII, cir. XXXI, n. 3.*

*Exemplum brutorum.* Si enim bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; si ob cibum modicum tam fideliter canis domino adheret, non erubescat, gratiam bene de se merentibus non referre; quando videt ipsas etiam bestias refugere nomen ingrati? *S. AMBR. l. VI hexam. c. III.*

*Multitudo beneficiorum*, quam fuscus explicans Sanctus Gregorius Nazianzenus: Unde tibi hæc omnia, inquit, et a quo? Aut parva hæc oculisque subjecta dicam, ejus munere ac beneficio cæli pulchritudinem cernis, solis cursum, lunæ orbem, siderum multitudinem, eamque, quæ in his omnibus veluti in *Lyra* elucet, concinnitate, atque ordinem, semper eodem modo se ha-

bentem, partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei noctisque aquas portiones, terræ productiones, aeris fusionem, maris fluxi simul ac stabilis immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum profluvia? S. GREGORIUS NAZIANZ. orat. xxxiii. Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus: Quanta, inquit, largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc jam ad correctionem, quanta etiam ad delectationem? S. BERNARDUS, ser. I *sup. Qui habitat*. Neque enim, ut bene Seneca pronuntiavit, necessitatibus nostris tantum provisum est, usque in delicias amamur. Lib. IV *de Benef.* c. v. Si ergo pauci interdum nummi, aut floreni, donati, tantopere excitant alios ad amorem benefactoris, gratumque ei animum demonstrandum, quid tanta et tam multa beneficia non efficiunt?

*Magnitudo beneficiorum.* Quid enim majus Deo, et Dei Filio? Atqui utrumque dat, se quidem in gloria, Filium vero pro redemptione, et in SS. Eucharistia; ad que duo beneficia, quia omnia fere alia ordinantur, merito ab illis quoque infinitam quamdam magnitudinem participant. Quæ ipsa obligatio, ut melius cognoscat, proderit intelligere, quod Sanctus Augustinus dixit: Respice universum mundum istum, et considera, si in eo aliquid sit, quod tibi non serviat. Omnis creatura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, et utilitati deserviat, tuisque oblectamentis pariter et necessitatibus, secundum affluentiam, et deficientiam occurrat. Hoc coelum, hæc terra, hæc aer, hæc maria, cum eis que in ipsis sunt universis, explere non cessat. Hic circuitus temporum annis innovationibus, rediivis partibus antiqua innovans, dilapsa informans, consumpta instans, pasta perpetuo subministrat. Quis ergo, putas, hæc instituit? Quis illud naturæ præcipit, ut uno sensu tibi serviat? Beneficium accipis, et auctorem ejus non cognoscis? Donum in manifesto est, largitor occultus, et ipsa ratio tua te dubitare non sinit, hoc tuum non debitum esse, sed beneficium alienum. S. AUG.

*Utilitas illius, cui beneficium confertur.* Quid enim est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam visitas eum; tot scilicet beneficiis preveniendo? Ps. viii, 5.

*Utilitas donorum Dei;* dat enim singula ad

ipsum cognoscendum, amandum, fruendum, et ad nos beatificandum. B. ALBERTUS l. c.

*Utilitas gratitudinis;* nam quanto major est in anima erga Deum grati animi affectio, tanto redditur idonea magis, et capax ad uberiorem Dei gratiam recipiendam, et tanto amplius liberalissimus Deus quasi cogitur ad largiendum. Idem.

*Dignitas benefactoris Dei;* de qua sic loquitur Thom. Kemp. Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile viditur; non enim parvum est, quod a summo Deo datur. Et iterum alibi: Minor ego sum omnibus bonis mihi prestitis; et cum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine spiritus meus. L. II, c. x, § 5, L. II, c. xxii, § 1.

*Constantia et longanimitas benefactoris;* ut qui toties a nobis offensus et irritatus, benefacere non cessat; unde merito Sanctus Chrysostomus querens dicit: Cum celi ipsi Dei gloriam prædicent; ipse vero ob ejus gratiam sunt illi effecti, ita te geris, ut tui fictor et creator Deus propter te male plerumque audiat. *Serm. de Grat. reddendis.*

#### MOTIVA OB SPECIALIA BENEFICIA.

*Ob beneficium Creationis;* de quo sic describit S. Gregor. Nazianz. Hoc igitur cum artifex verbum ostendere voluisset, animal unum ex utroque, hoc est, ex invisibili ac visibili natura hominem fabricatur, atque a materia quidem ante producta sumpto corpore, a se autem insito spiraculo (quod quidem intellectualem animam Deique imaginem Scriptura vocat) velut alterum quemdam mundum, in parvo magnum, in terra collocat, Angelum alium mixtum adorarem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualem mixtam, eorum, que in terra sunt, Regem; Superis autem subditum, terrenum et celestem, caducum et immortalem, visibilem et intelligibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem, eundem spiritum et carnem; spiritum per gratiam, carnem ob elationem. S. GREG. NAZ. Or. II. Quod etiam Rupertus Abbas confirmans: Magnum plane consilium, inquit, in illo sapientiæ consilio, in illo talium Personarum, Patris et Filii, et Spiritus Sancti non tam senatu, quam soliloquio venerando de nobis habi-

tum est; ut unaquæque Persona suam operis partem susciperet, ut scilicet tunc quidem Pater concederet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus Sanctus remissionem peccatorum perficeret. RUERT, l. II *de Tri.* c. i. Quanta vero in specie per hoc beneficium bona obtigerint, explicat in primis D. Bonaventura dicens: De dono naturæ est, quod creavit te in tempore, et quod ab æterno te disposuit creandum, non creavit te peccus, sed hominem. Dedit animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium, industriam, quæ omnia materialia potest intelligere. Dedit mentem vel intellectum, quæ immateriales Spiritus, Deum et Angelum, intelligeret. Propter te omnia in terra creavit, omnia elementa ad tuam vitam, omnia animalia ad tuum nutrimentum. S. BONAV. t. VII, c. vi. Deinde etiam S. Antoninus, dum ait: In anima posuit imaginem Trinitatis, et distinctus, quam in Angelis, in quantum sicut Deus est totus in toto orbe, et totus in qualibet parte; ita in orbe suo, id est, corpore, anima tota est in toto, et tota in qualibet parte corporis; participationem cum omnibus creatis, scilicet commune cum elementis, vegetare cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis; representationem universitatis, ibi enim sunt quatuor humores cum corpore, conformes quatuor elementis; quinque sensus exteriores, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus; et quatuor interiores, scilicet sensus communis, æstimativa, phantasia, et memoria; quasi novem cœli, nam decimum empyreum, in quo Deus residet per gloriæ manifestationem, est pars intellectiva, scilicet intellectus et voluntas. S. ANTON. p. IV *Sun.* tit. XIX, c. XI. Beneficia vero corpori collata his verbis exprimit S. Laurentius Justin. Te Deus de humano et vilissimo semine matris tuæ formavit in utero, corporis organum distinxit per partes, divisit artus, sensus disposuit, singulisque propria indixit ministeria, ut non esset schisma inter eos, sed compago indissolubilis, amoris vinculum, unitatis exemplum, dilectionis forma, decus sapientia, et corporis Ecclesie similitudo vel optima. S. LAUR. JUST. s. *de Christi Corpore.* Denique aliam adhuc beneficii circumstantiam notat idem Sanctus, dum ait: Quamvis delinquas graviter, quanquam in multis offendas frequenter, tametsi te voluntarie ab illo avertas, numquid suarum stillicidia

gratiarum cohibet, ne pluant super te? Numquid solis, lunæ, stellarumque splendorem abscondit, ut non super te luceant? Porro terra germinat fructum suum, arbores diversarum specierum pomis produunt; et (proh dolor!) intelligere dissimulas a qua isto percipias? Tibi cuncta famulantur elementa, nubes de cœlo imbrem opportunum spargunt; dies diei, et nox nocti succedit, ut tibi et cunctis viventibus præstent gaudium, tribuant alimentum, levent fastidium; et sine sensu, et absque gustu torpescis et jaces? Idem, *de Obed.* c. v. Ut merito citatus Sanctus Antoninus dixerit: Invitant te omnes creaturæ ad gratias agendas Deo, quia omnes, exceptis Angelis, sunt inferiores nobis, et cum Deus potuerit nos facere vilissimas creaturas, nobilissimas fecit. S. ANTON. l. c. § 1.

*Ob beneficium Conservationis,* quod sic declarat S. Augustinus: Omnibus horis et momentis frueri bonis misericordie tuæ; quoniam semper perire, nisi quia semper regis me; semper morerer, nisi quia semper me vivificas, et omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua beneficia præstas. S. AUG. *Soliloq.* c. xviii. Idemque confirmans S. Antoninus: Considera, inquit, quod tot sunt Dei beneficia erga te, quot vitæ momenta, per continuum enim Dei influxum homo consistit, et vivit. S. ANTON. l. c. § 1. Unde merito concludit S. Ambrosius: Vide ergo, quanta quotidie Deus molitur, quanta distribuit, quantis terram fructibus implet, quam opportunis, et in omnes oras furentibus ventis maria promoveat, quantis imbribus solum moliat? S. AMBR. *de Obitu Theodos.*

*Ob beneficium Redemptionis;* de quo præclare sic loquitur S. Bernardus: Si totum debeo pro me facto, quid addam jam pro me reflecto, et reflecto hoc modo? Nec enim tam facile reflectus, quam factus; nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit mihi, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit. In secundo se, et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et his debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si milles me rependere possem, qui sum ego ad Deum? Id ipsum alibi præclare confirmat dicens: Super omnia te mihi amabilem reddis, o bone Jesu! Calix, quem hi-